

contractorum mollities & contractorum subsequens durities, testatur) ita ut vesiculæ fibrarum insensibiles in spatiolis intermediis locum abunde reperiant in quem inflatæ postmodum recipiantur, absque eo, ut in exteriorem musculi ambitum omnis illa distensio fibrarum redundet: id quod eò facilius capere *quartò* licebit, si talem fibrarum contiguarum positum supponamus, ut ventres vesicularum in una fibra commissuris earundem in altera, & vicissim, respondeant.

XI. Conati sumus hanc rem totam oculis ipsis adhuc evidentiùs subjicere, inque hunc finem intestini bubuli partem longiusculam internodiis pluribus angusto foraminulo adhuc perviis ita distinximus, ut seriem decem aut duodecim vesicularum osculis mutuis inter se communicantium exhiberet, atque adeò fibram muscularem unam quodammodo repræsentaret; verùm, ne quid dissimulemus, obstabat hîc votis nostris haut prævisa statim difficultas, dum vesiculæ hæ factitiæ dispani se quidem ab immisso oris flatu patiebantur, sed absque notabili sui abbreviatione; cujus rei causam facile postea videbamus in eo fuisse positam, quòd intestinorum longitudo ex ea parte, quâ mesenterio fuerant in orbem alligatæ, multò minor esset quàm in parte opposita, & ligamento tenaci prætereà sic firmata ut distentionem omnem respueret. Quamobrem aliâ viâ ad eundem scopum collineaturi, ex linteo paulò densiùs contexto probeque priùs incerato confui fecimus sacculum longiusculum sed instar intestini tenuis angustum, cæteraquæ quæ priùs in intestino bubulo tentaveramus, hîc eodem modo iteravimus, ita voti nostri compotes fibramque musculi vesicularum utcunque exhibentes, quæ flatu oris immisso notabiliter abbreviabatur, cum parvula tamen quoad latitudinem expansione.

XII. Quemadmodum autem dubium nullum est, ex tenui corio aut serico densiore, quod vulgò taffetam vocant, rite